



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. De homicidio omnio involuntrio, & inculpabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

culum, & propterea prohibita est; ita in posteriore casu non apparet, ex quo capite dici possit homicidium illis voluntarium, dum operam quidem rei illicitæ dant, non tamen ex natura sua trahentis secum mortem alterius, neque propter conjunctum propinquum periculum mortis prohibet. c. Tua nos. 19. h. 1.

§. V.

De homicidio omnino involuntario, & inculpabili.

DE hac quæstione in *Clement. Furiosus. h. 1.* statuitur, quod nullâ incurrat irregularitatem furiosus, si durante furore, etiam si suâ culpâ in hunc incidit, occiderit aliquem; infans (ante septennium scilicet expletum) aut dormiens, si occiderit aliquem, cum hi usum rationis non habeant, nisi in hoc postremo casu sciat dormiens, quod in somno soleat surgere, arma arripere, ac obvios percutere, neque tamen ad præcavendam hæc debitam diligentiam adhibuerit, & mors exinde alicujus sequatur, cum in tali casu homicidium hoc fuerit satis in causa illi voluntarium. De ebrio tamen dubitari potest, utrum occidens aliquem in ebrietate, irregularitatem incurrat, cum enim neque hic habeat tum temporis rationis usum, videtur eam non incurere, sicuti prius relati; probabilius proinde ob hanc rationem videtur, non incurere eum irregularitatem in foro Canonico ob factam hominis eadem, nisi prævidens ante ebrietatem periculum occidendi inimici v. g. in ebrietate, periculum tale debitâ diligentia non præcaverit, quia ut sic

homicidium tale huic satis voluntarium est, sicuti de dormiente paulò ante dictum.

SECTIO III.

De homicidio necessario, sive ob defensionem factò, & irregularitate ex eo contracta.

§. I.

An qui ob defensionem suæ propriæ personæ ac vitæ alium occidit, vel ob defensionem proprii honoris, & fama, fiat irregularis?

QUI occidit aliquem ob necessariam (ob quod etiam necessarium tale homicidium dicitur) corporis sui, seu vitæ defensionem, servato moderamine inculpatae tutelæ, non fit irregularis, fit tamen irregularis, si in modo defensionis notabiliter excedat, occidendo v. g. in vasorem, quem aliis modis facile repellere potuisset, *Clement. cit. si furiosus &c.* quia contra injustum invasorem vim vi repellere ob sui tutelam, jure naturæ concessum est, & quamvis videatur etiam in hoc casu injusti invasoris, vim vi repellendo, occisi, *Trident. Sess. 14. c. 7. de refor.* irregularitatem inducere, dum Episcopus dat dispensandi in tali casu facultatem, intelligi tamen debet Concilium juxta declarationem Cardinalium de eo casu, quo quis excedit moderamen inculpatae tutelæ, quod diligenter observandum est, ita ut etiam fugere teneatur, ad evitandam occisionem, cui fuga graviter dedecorosa non est.

Ccc cc 3

Quod